

tum eius cum uetula, uel ægritudinem eius ex causa frigida.

Dominus ascendentis reuolutionis in octaua retrogradus, sine auxilio fortunæ, minatur infirmitatem.

Mars reuolutionis, si locum Venetis radicis maculat, significat quòd ex nimia commestione, uel coitu, natus incurret ægritudinem.

Dominus sextæ reuolutionis, cum cauda significat, quòd eius seruorum aliquis, seu ancillarum uitæ discrimina subibit.

Dominus ascendentis radicis in opposito Saturni, & Lunæ, cum Cauda in opposito Martis, minatur alterationem melancholicam, deinde acutam.

Quando aliquis planeta in reuolutione infortunatus peruenerit ad locum Lunæ, erit damnum per ea quæ Luna significauerit, impedimentumq; aduersæ ualitudinis, maximè si reuolutionis dominus fuerit in natali infortunatus.

Dominus sextæ in prima significat quòd seruorum aliquis diem suum obibit.

Saturnus in ascendente, significat ægrotationem de sui natura.

Sol, uel Luna à quadrato, uel opposito Martis aspectus, caueat ne oculus aliqua ex parte lædatur ex aliquo ictu, aut ne ex alto corruat, uel ab equo calcitroso aliquid sinistri sentiat.

Mars & Mercurius cum Cauda denunciant alterationem melancholicam, cum uentris profluuium.

Profectio ascendentis ad partem anni in quo timetur mors, uel gradus diuisionis ascendentis, uel eius dominus ad hanc partem, significat corpori aduersa, uel substantiæ, uel captiuitatem, uel aliquid simile.

Dominus ascendentis radicis natiuitatis, si fuerit infortuna, & si in reuolutione ad signum ascendentis peruenerit, & idem planeta fuerit dominus, & significator anni illius, & aspexerit illud signum applicationis in reuolutione de quadrato, uel opposito, significat illo anno infirmitates, dolores, & tristitias, de natura illius signi, & de natura illius planetæ, & signi in quo fuerit, à quo aspicit signum eius.

Quando gradus ascendentis fuerit uitæ significator, & profectio anni peruenerit ad locum Eclipsis, excæcabitur natus eo anno.

Quando ascendens reuolutionis peruenerit ad locum Saturni, uel ad ipsius malum aspectum, & ipse ibidem, uel in ipsius loci malo aspectu fuerit, significat febres cum tremore, uel quartanas si fuerit angularis, uel in succedentibus, & si Mars eum aspe erit, incidet natus de una febre in aliam, & si fortunæ uiderint eum, liberabitur medicinis.

Ascendens reuolutionis ad locum Martis deuolutum radicis si mali aspexerint, uulnera, metum, litigia, & incendium, uel febres acutas significat, maximè si in angulis, uel succedentibus fuerit, & forte cum metu magno peregrinabitur.

Dominus anni in angulo occidentis cum Luna, & dominus signi in suo casu, uel in opposito domus suæ, infirmitatem minatur.

Sol & Venus si ex quadrato Saturnum aspexerit, significat ægritudinem ex humore crasso, & melancholico, uel timeatur mentis conturbatio, præsertim si tunc Luna, aut Mars fuerint infecti.

Luna cum cauda, significat humorum corruptionem, & malignitatem, cum Capite, augmentum, similiter cum Ioue, & Venere, cum Marte inflammationem.

Luna coniuncta, uel opposita planetæ existenti in sexta, dabit membro illi domui subiecto infirmitatem, uel saltem discrasiam, præsertim si fuerit infortuna, & in domo mala radicis, uel in domo mala à Luna radicis. Verum si talis coniunctio fuerit in ascendente, dolorem capitis commouebit, à causa calida, si sit Mars, si Saturnus grauitatem, si in tertia, in collo, & gutture, & sic de alijs, præsertim si in Tercio. Exemplum secundi. Sit Luna in Piscibus, in radice in nona, quando coniungitur cum

cum